



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Polycarpvs Ep. M. 26. Ianuarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

illis verbis, *Stella MARIA maris hodie processit ad ortum*: quandoque etiam ad cantus illos socius admittitur. Iam Kal. Ian. & Maii, quibus Suevia vel Xenii vel cantu certat, ille totos dies IESVM & MARIAM sonare, flores Cruci dare, hanc osculis fatigare; ut post tot amores manifestus iterum IESVS HENRICI nomen in AMANDI mutarit, & MARIA (cujus solo nomine in fugam ore dabit) humana nauseanti caelestem liquorem propinarit. Caterum (mecum mirare) hucusque in primo gradu virtutis consistere AMANDVM suum Christus docuit, & Seraphinum alatum in cruce sua indutus docuit per adversa non ire, sed volare in caelum. Abhinc scortator, sacrorum fur, impostor, veneficus audiit AMANDVS, ut succumbere potuisset, nisi IESVS & MARIA Angeli que colloquiis suis identidem firmassent. His succollantibus in caelos evasit, anno M. CCC. LXV. qui sequi volunt, legant scandant que *Rupes*, quas scripsit.

Ex Ann. Ordin. Prad.

Tristatur aliquis? veniat in cor eius IESVS & inde saliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, & redit serenum. Labitur quis in crimen, currit ad laqueum mortis, nonne si invocet nomen vite, respirabit ad vitam? S. Bern. serm. 15. Cant.

S. POLYCARPVS EP. M. 26. Ianuarij.

Antistes Smyrnensibus POLYCARPVS à Divo Ioanne Apostolo datus est, eam apud omnes fuisse auctoritate memoratur, ut subinde sperare ausi sint Iudæi, Christianos, misso Christo, POLYCARPVM secuturos. Libertate quam Christianam in dicendo fuerit, argumento ejus cum Marcione hæretico congressus, qui cum ad conspectum suum exhor-

exhorrescere Divum videret, audaciâ linguam ar-
mante, *Nosce nos*, ait *amabo*. At POLYCARPVS, vul-
tu ad severitatem composito, id tantum respon-
dit, *Novi equidem primogenitum Sathana*. Cæterum
Romæ cum degeret, divinitus de morte suâ edo-
ctus, lictoribus obviam progreditur. Sub pugnæ
initium voce è cælo animatur, jamque Christo
malè jussus dicere: *Qui*, inquit, malè illi possum
dicere, qui ipsos LXXX. annos famulanti sibi mali
nil fecit unquam? Ergo ad rogam damnatur. Sed
virtutem ipse absolvit ignis, dum tangere veritus
structâ velut è flammis porticu ambit innocen-
tem, nec jam lædit, sed tegit, suavissimum interim
in adstantes odorem ejaculatus. Ad extremum
gladio confossus sanguine ignem extinxit, nobili
nimbo, & quem vel suis imbris cælum præfert.

Ex Surio.

*Quando tu hodie in mundo constitutus & cras
tribunali Dei presentandus audes blasphemiam
proloqui? & non metuis ne fortè ignis de cælo des-
cendat & te devoret; tuum os adversus omnipoten-
tem aperis, neque vereris ne terra sub te disrum-
patur & te absorbeat? S. Ephrem paræn. 83.*

S. IOANNES CHRYSOST. EPISC.

27 Ianuarij.

CHRYSOSTOMVM laudibus suis pingat alter
Chrysofomus; nos umbram damus. Non-
dum Pontifex Byzantinus erat IOANNES, cum in
ejus conspectum se dedit Apostolorum Princeps
D. Ioanne Evang. comite, & sanctioris potestatis
ac magisterii indices claves illi ac librum obrulit.
Et verò quid mirum, si hoc Doctore etiamnum
orbis gaudeat, qui præcepto rem magnum Pau-
lum